

Augustin Balthasar von


Oratio De Æqvitate Judicis Cerebrina, Justitiæ Peste : Die 10 Maji 1753. ...

Gryphiswaldiæ: Stannis Struckianis, [1753]


<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1866224913>


Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (54.)





ORATIO ¹⁸⁹
DE
ÆQVITATE JUDICIS
CEREBRINA,
JUSTITIÆ PESTE.

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
ADOLPHO FRIDERICO IV.
DUCE MEGAPOLIS REGNANTE,
PRINCIPE VANDALÆ, SVERINI ET RACEBURGI, COMITE SVERINENSI,
TERRARUM ROSTOCHII ET STARGARDIÆ DOMINO &c.
ORDINIS SERAPHINI COMMENDATORE NEC NON AQVILÆ ALBÆ
EQVITE.

Die 10 Maji 1753.
CUM TERTIUM
IN PRO-RECTOREM ACADEMIÆ
SOLEMNI RITU INTRODUCERETUR,
PUBLICÈ RECITAVIT
AUGUSTINUS de BALTHASAR,
J. U. DOCT. ET PROF. ORD. FACULT. JUR. SENIOR ATQVE DECANUS,
REG. CONSIST. DIRECTOR, ACADEMIÆ JAM PRO-RECTOR
ET SACRI CÆSAREI PALATII COMES.

GRYPHISWALDIÆ STANNIS STRUCKIANIS.

GRATIO
DE
AGVITATE JUDICIS
CEREBINA
JUSTITIA PESTE
FACTORE MENTENTIAMO
SERISSIMO ERING BE AC DOMINO
DOMINO
ADOLPHO FRIDERICO IV
DUCE MEONORIS RECVANTE
PRINCIS VANDALIA VONN ET RACHVALI COMTE SVERRINI
TERRITORY RACHVALI ET STARGORDE DOMINO SC
ORDRE HEREDITI COMTEBRNDORRE NEE NON ACHLE ALRE
LOVRE
DATE ANNO
DIPLOMATUM
IN PROPECTOREM ACADEMIE
SOLEMNI RITU INTRODICTOR
PUBLICE RECITAVIT
AUGUSTINUS DE HASTHARAR
PROFESSOR PRAELECTORIS MORA ATQUE DECANUS
ET CONSIST. PRAELECTORIS HUMANI PROPECTOR
ET SALLICISSIMUS PRAELECTORIS
ALPHONSIUS DE HASTHARAR

*Quod summum trinimum perfectumque
Numen felix faustumque esse jubeat!*

Omne trinum perfectum.

Magnifice Domine Ex-Pro-Rector.

Patres Academiae conscripti

*Summe venerandi, Generosissimi, Consultissime, Experientissimi,
Excellentissimi, Prænobilissimi,
Collegæ æstumatissimi.*

*Domini Hospites & generis splendore & munerum
dignitate maxime conspicui,*

*Vosque genere, virtute ac eruditione præstantissimi
Cives Academici.*

Commilitones suavissimi.



OMNE TRINUM PERFECTUM. Ita communi circumfertur proverbio, nec quoque facile quisquam inficias ibit, huic numero perfecti quid inesse. Tertio mihi jam contigit felicitas, quod, suffragante summi ac trinuni Dei gratia, Rectoratus Academici munus ad me devolvatur.

Idem fere mihi accidere sentio, quod olim in Annalibus nostris academicis HENRICO BUCOVIO evenisse legimus, qui (a. 1518.) septies in Rectorem electus, propria manu adscripsit:

A 2

Hunc

Hunc numerum excedere non intendo, quia septenarium numerum Ecclesia non excedit. Nam Jesus Christus in Oratione divina septem petitionibus omnia comprehendit.

Quod si mecum perpendo, Collegium academicum eo tempore non tanto, ac hodie, membrorum numero constituisse, & Magistratum Academicum singulis semestribus ambulatorium fuisse; facile colligere licet, eundem temporis tractum hodie requiri, ut tertia uice munus rectorale ad aliquem devolvatur, ac olim exegebatur, si quis septies eodem perfungeretur. Et cum humanæ vitæ spatium hodie jam multo sit contractius, rara sane felicitas est, si cuidam in nostra Facultate contingat, tertio Reipublicæ tractare gubernacula.

Terminus siquidem triginta sex annorum requiritur, si hodie tertia uice in mea Facultate turnus electionis ad idem subjectum redire debet. Jam autem ego, qui hunc annorum terminum haud dum in munere academico transegi; tertio ad Rectoratum vocatus, & sic opinione citius ad hunc perfectionis gradum euectus, nec hunc numerum excedere intendo; quoniam omne trinum perfectum.

O! summum ens trinunum perfectissimumque, quod regis hoc universum, quod seculorum computas intervalla, coram quo seculorum miriades unum conficiunt diem, ex cujus nutu omnis meus spiritus pendet, tuæ Clementiæ unice me & vitæ meæ terminum commendo; sis mihi porro propitium.

Subeant licet morbi tristisque senectus,

Quam labor & duræ rapiat inclementia mortis.

Animo jam prævideo varios istos casus & tot discrimina rerum, quibus undiquaque navis Academiae in vasto ac procelloso hujus universi æquore jactatur, cujus clavum, per hunc
annum

annum gerere, sapientissimo summi numinis consilio & Patrum Academiae conscriptorum decreto, mihi jam tertium impositum est.

Certe Nauta etiam scientissimus, qui semel maris favientis tempestatem expertus, vel mari Prædonum referto navigavit, horret pristina vestigia, ne iisdem, vel forte majoribus periculis implicetur, aut forsitan navem ad scopulos adpellat, vel præda fiat Piratis. Et *Piscator*, ut dicitur, *ictus sapit*.

Idem & mihi hodie accidit, A. O. H. qui tertia jam vice gubernationi navis academicæ, in alto fluitantis, gubernaculis fere ereptis, præfectus sum. Me huic rei vix parem esse sentio. Quis itaque me argueret, si jam magis magisque incrudescente tempestate, hanc provinciam modeste declinarem. Certe, ex animi sententia loquor, reliquissimè lubenter alii sedem in puppi clavique directionem, & servarem mihi locum in sentina, ni religioni duxissimè, id officii repudiare, quod suscipiendum officii ratio jure a me exigit.

Agite itaque, Velorum pandimus alas,
Vocat jam Carbasus auras.

Verum, mane dum! Antequam anchoram solvo, & ne in ipso portu impingam, vestrum P. A. C. quorum decreto hoc, quod jam sustineo, mihi impositum est munus, concilianda est gratia, si alias navis mea, placido mari secundis conspirantium ventorum flatibus impulsâ, defluere debet.

Vos, Patres Academiae conscripti, in eodem jam navi & sic in eodem velut navigio ejusdem fortunæ ac periculi participes estis; Academiae enim res dum agitur, vestrum quoque causa tractatur; & tunc vestrum res agitur, paries dum ardet Academiae.

Sublevetis itaque me, quaeso, vestris consiliis, disciplina hujus navalis, puto artis navem academiae dirigendi, VIRI PERITISSIMI; impellite remos, & si in partes meaе sollicitudinis atque curatum vos vocare communis causa postulat, auxiliatrices mihi porrigite manus, & dum clavum rectum teneo, ne contra aquam remigetis. Vis unita fortior; conspirantibus consiliorum flatibus plenissimis velis navigabimus; & ventis destituti, remos adhibebimus. Nam in navigando tempestati obsequi, artis est, etiam si portum tenere haud queamus; & prudens nauta non cum vi & manifesto discrimine eo dirigit cymbam, unde vis tempestatis instat & infestat maxime; sed flectit perite, & commutata velificatione nunc dextro, nunc altero pede usus, captat auras, aut recta anchora sistit navem, ut vel per ambages & ex obliquo teneat portum, aut ex procellis & discrimine ad qualemcunque incolumitatem perveniat. Non deterreant vos spissae ac procellosae nubes, undiquaque caput nostrum cingentes. Mementote: Gubernatoris peritiam non probare temperiem serenam, sed procellosam tempestatem. Blandiente aura navem regit ultimus nauta. Haud enim difficillima provincia est, sedere ad clavum atque navigium regere, cum favet dies serenus & placidus, cum ventis ferentibus ac obsequentibus utimur & rectum cursum ex facili tueri licet; sed cum tonat coelum, cum saeva nox ingruit, & venti invicem praeliantes in latum utrumque per vices incumbunt; tunc constat maxime, quid gubernator valeat, quid comminisci in praesens possit, ut navem ex hyeme & scopuloso mari servet. Confidite saltem Deo, ut supremo navis ecclesiae ac Reipublicae nostrae literariae gubernatori, hoc duce, superatis tandem omnibus tempestatis adversae periculis, naviculam nostram salvam in portum deducemus,

cemus, ubi contra omnem impetum ventorum ac tempestatis tuto latere possit;

Supremum numen annuat votis atque conatibus nostris.

Sic implorato ad præsens navigium Dei T. O. M. auxilio, sic aucupata Patrum Academiae conscriptorum gratia, jam vela orationis pando, & pro more recepto brevi sermone officium rectorale auspicaturus, ejusmodi selegi thema, quod mihi futuro Academiae Rectori, & omnibus Judicibus usui esse possit. De

cerebrina scil. Judicis æquitate, Justitiæ peste,
brevis sermone differere constitui. Non ad instar Oratorum splendido verborum lenocinio, quo ipso res ornari haud indiget; sed levi ac plano dicendi genere usus.

Faciles ut mihi præbeatis aures mentesque, est quod iterumque rogo atque contendo.

Quemadmodum quilibet prudens nauta, vel navis gubernator, cum mare transiturus, pyxi nautica debet esse instructus, qua instar cynosura utitur, ut recto itinere navem dirigat, ne huc vel illuc declinet, & in scopulos impingat, aut in sævas incidat Syrtes: Ita non minus judicem decet unice justitiam ante oculos habere, & lege præscripta tanquam pyxide magnetica in judicando uti, ne a recta via declinet; maxime autem tanquam charibdim evitare debet cerebrinam æquitatem, justitiæ naufragium.

Mirum vobis, A. O. O. H. videri posset, quod præsentis oratione æquitatem accusare, immo, damnare intendam, quæ ipsa in jure nostro alto loco posita, ab ipsis Legislatoribus summis effertur laudibus, judicibus commendatur & ab his, felici admodum successu, observatur.

Sic

Sic ipsum jus a JCTO CELSO in *l. 1. ff. de Just. & jure*, per *artem boni & equi* definitur, & ULPIANUS quasi jactando *artem suam d. l.* inquit: *Justitiam colimus, boni & equi notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes.* Immo, suo jam tempore JCTUS PAULUS in *l. 90. ff. de R. J.* fatetur: *quod in omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas sit spectanda.* Ideoque eidem locum dedit in *l. 2. §. 5. in fin. ff. de aqua plu. arc. etsi jure*, ut inquit, *deficiamus.* Quid, quod, primus Christianorum Imp. CONSTANTINUS M. in *l. 8. C. de Jud.* expresse ait:

Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quam stricti juris, rationem.

Et Imperator JUSTINIANUS in *l. 13. §. 7. C. de Jud. se omnia ad æquitatis rationem correxisse*, asserit, & per omnia justitiam æquitatemque honorandam, statuit in *Nov. 97. C. 1. in fin.*

Nec itaque mirum, quod etiam ab ipsis JCTis æquitas condignis maectetur encomiis, a quibus *anima legis* dicitur, sine qua totum Corpus juris *cadaver est*, ut loquitur BESOLDUS *L. 11. Polit. C. 2. p. 622.* quorum majorem cumulum deprehendes in BARBOSÆ *Locis Comm. L. 1. C. 39. ax. 10.*

Quod si itaque æquitas in tanto ubique est pretio & ab ipsis summis Legum latoribus Judicibus observanda inculcatur, non poterunt non Judices eandem in judicando respicere ac amplecti.

Verum, non est, ut quis se his moveri patiat, cum jura, æquitatem commendantia, non fictam, cerebrinam & in cujusvis judicis vineto, seu, ut verius loquar, *simeto natam*; sed eam intelligant æquitatem, quam legalem dicimus, dum ex ipsis legum visceribus per artem juris eruitur, pro diversitate rerum, personarum, temporis ac circumstantiarum; qualis

qualis æquitas in juri maxime spectanda; hæc stricto juri merito præferenda, huic locus dandus, etsi jure deficiamus. Hanc fundamentum interpretandi pariter leges & pacta statuit BALDUS in *l. 9. n. 8. C. de suis & legit.* - Hanc theriacam contra venenum appellat MENOCH. *de arbitrar. Jud. quest. L. 1. qu. 13. n. 17.* Hanc, inquam æquitatem, quæ regulam juris ejusque rigorem secundum circumstantias ex mente Legislatoris inflectit & facto accommodat, supplendo, ampliando, limitando, omnes certe boni jurisque æstimatorum magni faciunt atque sectantur.

Et sic quoque omnino hæc æquitas, juri scripto innixa, ad judicis officium spectat, ejusque proprium est, ut ita dicam, quarti modi. Unde Jct. PAULUS in *l. 85. ff. de R. J. Quotiens ait, æquitate desiderii, naturalis ratio aut dubitatio juris moratur, justis decretis res temperanda est.* Etenim Judex, tanquam vir bonus, ut in jure dicitur, æquitatem potius sequi, quam scientiam juris, i. e. angustam verborum legis observationem, contra mentem & sententiam legislatoris persequi debet.

At enim vero, caveant hic Judices, ne nubem pro Junone arripiant, fucumque pro veritate venditent. Cum non omnia æqua sint, quæ æquitatis habent imaginem; ista enim æquitas, cujus usus judici debet esse familiaris, legi inservire, nec latum, ut dicunt, ungvem ab ejus sententia deflectere debet. Æquitas legis, non capitum, sequenda est, alias captiosa & sine jure temeraria dicitur, v. JURGAM VAL. WINTHER in *Parthenio litig. L. 1. c. 12. §. 17.* Quamvis itaque Judici concessum sit, ex æquo & bono ab angustiis verborum legis recedere, nimisque arcta legum quasi vincula relaxare, & non tam literarum fauces, quam

B

natura-

naturalem honestatem æquitatemque attemperacione quadam sectari; attamen hac potestate eo abuti non debet, ut sub prætextu æquitatis contra leges scriptas mentemque Legislatoris pronunciare audeat. Potius procedere debet secundum æquitatem a lege, vel jure, informatam. v. c. 4. c. 3. qu. 7. BE-SOLDI *D. de Modo referendi. §. 31.* WINTHER *c. l.* Et æquitati tum demum defertur, cum est evidens, i. e. nullam in contrariam patitur dubitationem, nec ullam legem habet contrariam. v. VIGELIUS in *ratione legendi jur. controuv. Col. 10.*

Æquitas enim legibus non adjuta, curanda non est; commentitia æquitas in cerebro saltem judicis nata, sæpe pro vera quidem venditur, attamen fucum veri saltem præ se fert; quemadmodum hypocrysis non raro fucum pietatis præ se ferre solet. Et hæc vera est pestis Justitiæ, virus & dira lues, quam cordatos Judices, ceu anguem, fugere decet.

Dolendum tamen, nihilominus hodie multos dari judices, quibus pro cerebo spongia nata, qui in angulis educati, solem nunquam viderunt, a quo solent aliæ stellæ lumine privari; qui, dum non videri volunt incapaces subtilitatum, nec se inferiores SULPITIO putant, (quem CICERO ab æquitate explicanda præ ceteris commendat) æquitatem sibi fingunt, & in cerebro suo natam, pessime observant; hinc ea, quæ obtinuerunt hæctenus, magno supercilio contemnunt, aliæque nova, haud paulo æquiora, venditant, hoc ipso Legislatoris munus involantes, suo, scil. quod gerunt, non contenti. Prout observat

HEIGIUS *L. I. Q. 37. n. 12.*

FABER in *Præf. Errorum pragmat.*

& inprimis JURGA VALENT. WINTHERUS noster, in elegantissimo libro, quem inscripsit *Parthenium litigiosum L. I. Cap.*

Cap. XII. n. 16. & passim. Nec non ZIEGLER in *Dicastice Conclus.* 37. §. II. Mos solennis est istiusmodi iudicium, sive delirent, sive sapiant, sive iniquum, sive rectum sentiant, quod non nunquam casu evenire necesse est, omnia referant ad æquitatem, quam pro arbitrio ex animi affectu sibi fingunt. Exclamant: æquitatem juris rigori in foro poli præferendam; & quid sit æquitas, nesciunt. v. WINTHER c. l. n. 17. Aliud esse, dicunt, quando causæ dirimendæ ipsis pro ponuntur, de rigore juris, aliud de æquitate; & sic jus strictum temperare volunt.

Ast male omnino, secundum ACCURSIUM. Hinc miserorum hæc dicitur solutio. Nam quemadmodum Judex unice Legum minister est, nec sub furo æquitatis a jure scripto ejusque sententia recedere potest; Itaque ne hoc a male feriat hominibus fiat, prudenter Rerumpubl. Rectores ubique Judicibus præscripserunt atque inculcarunt, ut hoc suo officio debite fungantur, ac non nisi secundum Leges judicent; sed, ne hoc quidem contenti, constituerunt, ut, qui jus dicerent, verbis conceptis jus jurandum præstarent conscientiamque suam obstringerent, se non nisi secundum leges judicatos esse.

Hoc non tantum jam olim Jure Justiniano obtinuit, sed & Legibus Imperii Germanici præscriptum & in omnibus bene constitutis judiciis ita servatur; scil. ut Judices interposito jure jurando fidem dent, se jus dicere & justitiam exercere velle secundum jura communia, seu Leges cæsareas, statuta & consuetudines, minime vero gentium secundum cerebrinam aliquam æquitatem.

Ut aliorum Judiciorum Ordinationes taceam, audiamus verba *Ordinationis Camerae Imperialis*, quæ P. I. T. 13. §. 1. sequentem in modum sunt concepta:

Die Beyßigere des Cammer-Gerichts sollen in keiner Sachen, sie sey so geringe, als sie immer wolle, allein auf ihr Gutdünken, oder aus fürgenommenen Gewissen, sondern auf des Reichs gemeine Rechte, &c. &c. vermöge und nach Anweisung ihres Endes, Urthel fassen und aussprechen.

Eadem sane verba in Ordinationem nostram Dicafterii, tam antiquam, quam recentiorem P. I. T. 3. §. 3. nec non in *Instructionem Cancellariæ ill. Regim. de 1669. art. 3.* translata deprehendimus.

Ex his dictis intelliget Judex, qui æquitatem ex sua bursa, vel cerebello depromit, se graviter peccare, dum contra officium suum agit & perjurii notam conscientia suæ inurere. Naturalis enim ratio jam docet, & Deus pariter in sacra scriptura serio præcipit, legitimis obtemperare imperiis. Ideoque cum lex sit sancta supremi Magistratus vox: Judex legum cynosuram sequi in conscientia est obligatus, ni contempto Dei, Magistratus & propria conscientia existere velit.

Sane non leve est crimen, quod Judices committunt, qui sub specie æquitatis a lege & mente legis resiliunt, dum excedunt limites potestatis, sibi commissæ. Quippe Judici non competit de Legibus, sed secundum Leges judicare & legum esse observatorem, non censorem, vel cavillatorem. Quod si ergo adest lex clara & perspicua, judex, et si forte dura & rigorosa sibi videatur, attamen judicando eam stricte observare, & lege nec clementior, nec durior esse debet.

WINTHER *cl. L. I. c. 12. n. 20.*

MEV. *ad Jus Lub. P. II. T. 2. a. 12. 155. sqq.*

Similiter existimamus: Si lex adeo obscura sit, ut, bonis licet adhibitis interpretationum regulis, verus tamen ejus sensus elici nequeat, ne tum quidem judici fas esse, æquitatem quandam sibi fingere, & ex hac sensum legi inferre; Quoniam solius Principis reservatum est, ejusmodi lege authenticam impertiri interpretationem. Quo spectat effatum Imperat. CONSTANTINI M. in *L. I. C. de LL. inter æquitatem & ius interpositam interpretationem nobis solis licet inspicere.*

Neque etiam illorum errorem nostrum facimus, qui judici licentiam indulgent, in casibus jure non decis, sibi æquum formare, & exinde controversiam decidere. Hi enim non minus turpiter confundunt potestatem judicariam & legislatariam, & hanc a judice alienam, eidem imperite tribuunt. Ista enim licentia invadit legislatariam potestatem, dum judex, ubi jus constitutum deficit, cerebrinam suam æquitatem pro jure statuit, & hac ratione imperantis officium temerario ausu usurpat.

Quod si etiam ab hac violatione Legislatariæ potestatis jam discedam, haud necesse habeo e longinquo conquirere rationes, quibus Legislatores commoti fuere, judicibus omnem æquitatis cerebrinæ usum in judicando interdiceret, si modo perpendo infinitam istam malorum lernam, quæ inde oriretur, si cuivis judici pro arbitrio suo contra legem scriptam æquitatem sibi fingere eandemque sequi, licitum foret. Siquidem nihil ad inducendos errores accommodatius, nec efficacius, quam si Judex in reddendo jure propriam animi sui sententiam sequi, & nescio, quo æquitatis commentitio colore le-

gibus illudere, sibi sumit licentiam. Uti jam ex JCTO CELSO notavit PAULUS in *l. 91. §. 3. ff. de Verb. Obl.*

Hac enim ratione omne jus erit arbitrarium & incertum, ab affectu judicis unice dependens. Grata hæc res erit istis iudicibus, qui amant jus sine jure dicere, illudque in favorem hujus vel illius partis huc illucque detorquere & non merita causarum, sed personarum respicere, nec quod lex sancivit, sed quod mens cupit, statuere; sic animum non ad justitiam, sed justitiam ad animum inclinantes. V. WINTHER. *c. l. c. 12. n. 19.*

Quod si quis ejusmodi supponat judicem, qui neque donis neque gratia se corrumpi patitur, quem nulli unquam affectus a vero divertunt, sane tolerabile videri posset, huic ex suo arbitrio & conscientia secundum æquitatem judicandi facultatem permittere. Verum quam rara avis est ejusmodi Judex. Quod enim non nemo de bonis Principibus dixit:

Omnium bonorum Principum imagines in uno annulo sculpi posse.

Id sane commode quoque ad bonos judices applicari posse, videtur.

Et quid, si supponam Judicem affectibus vacuum, non ne etiam si vel ex ignorantia, vel incuria iniquam tulerit sententiam, omni casu ipsi elabendi, & suas iniquas sententias peplo cerebrinæ æquitatis tegere, occasio daretur, si judicem instruere velis licentia pro arbitrio judicandi? Quin, immo, optimi judices facile depravarentur inter tot corruptelas.

Neminem fallit, quam levi sæpe momento judices a legum tramite abstrahantur. Quid ni fieret, si causa vago, fallaci & ad corruptionem sæpe prono judicis arbitrio relinqueretur determinanda. Quid, quod, si judici responsum vel decre-

decretum secundum suam cerebrinam æquitatem ferendi licentia sit, o! bone Deus! quæ tenebræ judiciorum, quæ confusio oriretur? in quam tyrannidem & servitutem conjiceremur?

Jus justum tribuit, possessiones assignat, innocentem ab oppressione malorum liberat eumque adversus injurias reddit securum, si aliud cuidam videbitur, non erit jus dicere, sed jus eripere. Judex, qui plus justo laxas arbitrio suo solvit habenas, mox, quod hodie justum arbitratur, cras injustum declarabit, idque prætextu æquitatis, nec enim difficile est, sub specie æquitatis affectum tegere. Ut rem paucis complectar: Si Judex habet potestatem in judicando cerebrinam æquitatem sequendi, nunquam non habebit licentiam rectum facere curvum, modo bursam suam implere valeat; secundum lepidum versiculum Germanicum:

Dat Recht kan ic krum maken,

Und trage deswegen rothe Scharlaken chamberirte Laken.
Denique si judici liceat ex cerebrina æquitate contra leges scriptas sententiam dicere, omnes sane leges erunt frustraneæ; cui enim bono esset, jus scriptum proponere, si judici liceret privato ausu ab inde recedere, quoties vellet. Hæc licentia? quid esset aliud, quam legum dissolutio & abrogatio, seu potius conculcatio?

Non quidem ignoro, jam veterem esse illam disputationem: Num præstet Rempublicam sine legibus esse, & causas subditorum potius arbitrio judicari, quam justitiam ex jure scripto administrari? quemadmodum dicuntur Scytæ & aliæ barbaræ gentes regere suas Civitates & exercere judicia sine jure scripto. His facile applaudent judices nostri, qui animo serviunt & otio indulgent. Sic enim nulla legum doctrina,
nulla

nulla cum corpore juris commercio, nec pervolutione librorum Jctorum, nec in iis desudare opus erit; sed illud tempus commode otio & voluptate transigere possunt, quoniam omne jus in cerebro clausum habent, e quo secundum affectus, quibus indulgent, facile sententias protrudere possunt.

Ast, o miseram istiusmodi judiciorum faciem! Verendum sane, ne in tali rerum statu repetenda sit querela Jcti Papiensis, qui indignatur summopere, quod in Montiferati aliisque Italiae partibus jus & instantia ministretur per boves & ignorantiae patres.

Certe, sapientes Civitatum Rectores viderunt, leges esse unicum concordiae vallum, & jus suum cuique non melius nec aequalius, quam secundum Leges tribui posse. Recte ARISTOTELES dixit:

Qui in Legem in judiciis vult dominari, hic vult Deum & Leges praesse; qui autem arbitrio vult regi justitiam, saevissimam addit belluam.

Etenim jus certum est, iudicis voluntas incerta, saepe prava; necesse ergo est, extare regulam, quae dominetur in judiciis. Lex est mens sine cupiditate, affectum nullum habens; aequitas sine lege est flexibilis, & iudex totus quandoque affectibus est obnoxius. Ideo, ne periclitetur justitia, aequi & iniqui formulae praescribi debent, quae vaganti iudicum licentiae frenam imponant, eorumque animos intra legum cancellos coerceant. Pia ergo antiquitas in omnibus disciplinis, tam sacris, quam profanis, certa praescripsit principia, pro norma servanda. Sic, quemadmodum Theologia credendi inculcat principia, certisque in arte medendi extant aphorismi; sic & certos quoque in jure canones supponendos, necesse est. Qui Theologiam sibi constituunt variam, syncretisticam, ubiquitisticam,

tificam, fundamenta veræ Theologiæ & fines turbant, erunt, subvertunt. Qui medicinam causariam, divinatricem, empiricam statuunt, fundamenta hyppocratica subducunt. Idem & illi, majori cum Reipubl. penicie agunt, qui lites arbitrio judicis ex æquitate cerebrina dirimere volunt. Neque vero huic malo medelam adferunt, sed potius augent illud, qui naturalem æquitatem supponunt & hanc judicem magis, quam leges scriptas sequi debere, malunt. Hic error eo magis noxius est, quo sæpius cerebrina æquitas sub umbra naturalis æquitatis delitescit, & aliorum oculis fucum offundit.

Admodum insulse itaque mihi agere videntur illi novaturientes, qui pessimo in Rempublicam exemplo juvenibus persuadere satagunt, non opus esse, ut de mente legum sint solliciti; rectius studiis suis consultum iri, si ad jus naturale, quod ex suo cerebro exsculpunt, animum applicent, quasi ex vagantibus ac fluctuantibus potius ideis, quam ex solidis Jurisprudentiæ principiis feliciter faciliusque definiantur. Certe summa temeritatis est, suum unicum judicium tot Imperatorum ac Principum placitis, magna cum animi circumspectione & circumstantiarum ponderatione formatis, antepone, illudque sub specie æquitatis naturalis, quæ contra leges est cerebrina, aliis obtrudere.

Ex vero potius scripsit ZAUNSCHLIFFERUS, in *Præfatione Antinomiarum Mevianarum*:

Ex solo naturæ jure lumineve non omnes, immo, si quid judico, ne quidem unica lis, sive ex jure publico, sive privato, sive criminali, sive civili in specie, terminari potest, sine jure aliquo civili: sicut nec Theologia naturalis sine revelata ad vitam æternam acquirendam sufficit.

Atque sane si solum jus naturæ, sive idolum æquitatis cerebrinæ, judici in foro normam præscribere deberet, ipse non solum

lum æternis jactaretur fluctibus, cum ab utraque parte speciosissimæ rationes in aciem produci possent; sed etiam inde se aliter expedire non posset, quam ut pro arbitrio ex imaginaria æquitate judicaret. Quam infinita sunt, quæ ex generalissimis juris naturæ regulis disputando in utramque partem flecti possent, quæ lex humana speciatim determinat & sic contradictionibus jugulum petit, judiciisque omnem occasionem, sub fuce æquitatis naturalis affectibus & prosopolepsiæ studio indulgere, præcindit.

Non immerito Allobroges ad Principem misere, petentes: Ne liceret iudicibus ex æquo & bono judicare, seu specie æquitatis vim & auctoritatem legum evertere.

At enim vero, quorsum tendo, P. A. C. A. O. O. H. dixi fortasse longius quam ferebat tempus; sed omnino brevius, quam dignitas materiæ postulat. Vela orationis jam contrahenda.

Reliquum est, cum mei officii sit, animis vestris studiosissimi Domini Commilitones, bonam ac honorificam de Legibus opinionem instillare, eosque inprimis, qui cum Themidæ sanctum consortium iniere, adhorter, ne a semita legum per cerebrinam æquitatem semet seduci patiantur. Fugite hanc justitiæ pestem, & mature veræ & haud fucatæ justitiæ operam navate, quæ sola Deo placere potest.

Ita mentem vitamque vestram ad virtutem & amissim Legum componite, ut & vobis aliquando clavus Reipublicæ gubernandus summa cum fiducia concedi possit.

Hunc in finem vobis præscriptæ sunt Leges Academicæ, mox prælegendæ, quasque sancte servare omnes promissistis. Liberare fidem vestram; aliter autem eam liberare non potestis, quam si istis exacte morem geratis. Cogitate, legibus servire, optimam esse libertatem, haud eludite vim earum sub quocunque glaucomate; respicite Deum; omnis Magistratus omnisque legis autorem, quam transgrediendo eum offenditis.

Ut vero eo altius animis vestris infigantur, Dn. Secretarius, prout moris est, eas vobis præleget.

Antequam vero hic suo officio perfungatur, & ego ex hoc loco discedam, eo, quo cepit oratio mea vertenda est; Ad Deum nempe trinunum, supplex ine converto, ejusque clientelæ com-

commendo Regem nostrum clementissimum ADOLPHUM FRIDERICUM, Principem clementissimum, Statorem ac conservatorem Academiae longe gratiosissimum, qui a primordio felicis sui regiminis in hunc usque diem radios suae gratiae atque clementiae in nostram Academiam emisit cumulatissime; Cor nobis salit, quando jucunda recordatione beneficiorum, nuper adhuc clementissime nobis indultorum, animos nostros oblectamus. O facinus heroicum, regiae majestati dignum, de quo nulla unquam aetas conticescet, nulla tam furda erit posteritas, nulla tam ingrata fama, quae non in caelum debitis laudibus id feret. O benignissime Deus, omnis gratiae fons atque scaturigo, refer hanc gratiam ex immenso gratiae tuae fonte, & effunde gratiam tuam in piissimum Regem nostrum totamque regiam domum uberrime.

Serva & conserva Proceres Regni, totum Senatum regium & Consiliarios regios, inprimis Provinciae nostrae Pro Principem Illustrissimum Comitem DE LÖWEN, Academiae nostrae Protectorem, Musarum fautorem, Dominum meum gratiosissimum.

Justissime & clementissime Deus, fons omnis justitiae, sine qua nulla societas humana consistere potest, dirige oculos sapientiae tuae in supremum illud Justitiae Tribunal, quod in terris Germaniae, Svecico sceptro subjectis, jus dicit justitiamque exercet. Hoc die octidui recurrente integrum praeterlapsum est seculum, quod Wismariae floruit, cujus primi Jubilaei secularis solennitas proxime instat; sit porro aureum justitiae fulcrum, tutissimum oppressorum refugium. Floreat in secula, nec nisi cum hujus universi interitu florere desinat. Praeterea tibi, alme Deus, habeas commendatissimos Regiminis nostri provincialis omniumque Judiciorum illustrium Consiliarios, nec non singulorum Collegiorum membra splendidissima. Adspira eorum consiliis atque conatibus, ut nil, nisi quod tuae voluntati convenit, suscipiant, nil nisi quod salutem publicam intendit, inceptent ac perficiant; Averte a finibus nostris saeva Bellonae tempora, quibus Leges silent, & justitia opprimitur; Jubeas potius istas florere & has indies magis magisque effrondescere.

Tandem

Tandem summa votorum meorum in salute Academiae nostrae confluit, iterumque pleno alveo se diffundit in Rectorem Academiae nostrae magnificentissimum, Serenissimum Principem ac Dominum ADOLPHUM RIDERICUM, ejus nominis IV. Ducem Megapoleos Strelitzensem regnantem, Dominum nostrum gratiosissimum, cujus propensissimo in bonas literas & Academiam nostram affectui debemus, quod ante trimestre & quod excedit spatium, fascis Academiae sibi deferri passus fuerit, quemque omnes praesentem caput Societatis nostrae Academiae venerati sumus & adhuc dum absentem veneramus. Nondum octiduum defluxit, quod diem suum natalitium decimum quintum solenni ritu obierit. Gratulamur ipsi ex animo, nihilque magis in votis habemus, quam ut hic laetus dies quam saepissime recurrat feliciter; Summum aeternumque numen hunc optimum Principem gratiae suae clypeo protegat; Concedat ipsi vires animi atque corporis, quae ad clavum Regiminis sui bene gerendum, requiruntur.


Servet ipsi integram valetudinem, in dulcissima Principi matris, omni pietatis ac virtutis candore venerabilis, solatium, totiusque domus ducalis florem, subditorum suorum gaudium, & Academiae nostrae splendorem ac emolumentum.


Tandem me converto ad Vos, Magnifice Dn. Ex-Pro-Rector, reliquosque Patres Acad. conscriptos, nec non Dominos Hospites O. O. H. servet Deus T. O. M. vos vestrasque splendidissimas familias, effundat in vos gratiae suae fontem largiter, omnique voluptatum genere vos complere nunquam desinat.


Denique acquiesco in votis, pro salute vestra, generosi ac nobilissimi Domini STUDIOSI, meae deliciae, ex intimo pectore fundendis. Spiritus sapientiae divinae vos regat, animos mentesque vestras, semper in verae pietatis ac justitiae tramitem dirigat; Excitet in vobis ardorem diligentiae, studiisque vestris ex alto benedicat, quo tandem utilia membra Ecclesiae ac Republicae, tam civilis, quam literariae, evadatis, & utraque habeat in vobis, de quo olim sibi possit gratulari.

DIXI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several horizontal lines across the page.







ma votorum meorum in salute Academiae nostrae
 Acade... inque pleno alveo se diffundit in Rectorem
 ac Dom... magnificentissimum, Serenissimum Principem
 nominis IV... LPHUM RIDERICUM, ejus no-
 num nost... poleos Strelitzensem regnantem, Domi-
 teras & Ac... num, cujus propensissimo in bonas li-
 mestre & qu... am affectui debemus, quod ante tri-
 passus fuerit, qu... tium, fasces Academiae sibi deferri
 Academiae vene... s praesentem caput Societatis nostrae
 Nondum octiduum... adhuc dum absentem veneramur.
 mum quintum sole... quod diem suum natalitium deci-
 nihilque magis in vo... Gratulamur ipsi ex animo,
 sapissime recurrat fel... quam ut hic laetus dies quam
 optimum Principem gr... m aeternumque numen hunc
 vires animi atque corpor... o protegat; Concedat ipsi
 gerendum, requiruntur. vum Regiminis sui bene

Servet ipsi integram... in dulcissima Principi
 matris, omni pietatis ac virt... venerabilis, solatium,
 totiusque domus ducalis flore... suorum gaudium,
 & Academiae nostrae splendore... atum.

Tandem me convertito ad V... Dn. Ex-Pro-Re-
 ctor, reliquosque Patres Acad. co... non Dominos
 Hospites O. O. H. servet Deus T. C... asque splendi-
 dissimas familias, effundat in vos g... em largiter,
 omnique voluptatum genere vos comp... definat.

Denique acquiesco in votis, pro fa... enerosi ac
 nobilissimi Domini STUDIOSI, mea delicio... pectore
 fundendis. Spiritus sapientiae divinae vos... m en-
 tesque vestras, semper in verae pietatis ac... m di-
 rigat; Excitet in vobis ardorem diligentiae, ... tris
 ex alto benedicat, quo tandem utilia membra... ei-
 publicae, tam civilis, quam literariae, ev...
 utraque habeat in vobis, de quo olim...
 sibi possit gratulari.

DIXI.